Lane Medical Library

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
ICTERO RECENS NATORUM.

QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
DIE III M. JUNII A. MDCCCXXXIX
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HERMANNUS SCHUCHARDT
RUTHENUS.

JENÆ
TYPIS BRANII.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41385904_0037

VIRO PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO

ET EXPERIENTISSIMO

CAROLO GUIL. STARK

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

ORDINIS SAXO - VIMAR. FALCONIS ALBI EQUITI

SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AULICIS INTIMIS ARCHIATRO ACTUALI MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO FACULTATIS MEDICAE ASSESSORI INSTITUTI CLINICI ET OBSTETRICII A MAGNO DUCE FUNDATI DIRECTORI PRAEFECTURAE ET CIVITATIS JENENSIS PHYSICO COMPRURIUMQUE SOCIETATUM SODALI

Praeceptori et fautori

pie colendo

hunc libellum sacrum esse

voluit

Auctor.

PROOEMIUM.

Si quis ex me quaerat, quid sit, cur ego adhuc tiro in re medica hunc libellum in medicorum forum proferre conatus sim, haec praesto est responsio: leges academicae jubent, ut quisque, qui superato examine rigoroso doctoris gradum summosque in medicina honores ambit, dissertationem de aliqua re medica conscribat atque publice defendat.

Itaque quum per longum tempus in dubitatione haesitarem, quo modo huic mori, jam majoribus sancito, rite satisfacerem, elegi denique icterum recens natorum describendum, quippe qui Jenae vernaculus est, et quem in instituto obstetricio Jenensi saepe observare mihi contigit. Collectis igitur aliorum medicorum ſententiis, eas, quae mihi

placuerunt, sententias dicam et icterum recens natorum describam.

Abs te vero, lector benevole, ut opusculum indulgenter dijudices et quae fortasse manca putes, subtilitate rei ipsius excuses, oro rogoque.

Index librorum ad icterum recens natorum spectantium.

Autenrieth, Observationes quaedam physiologico-pathologicae, quae recens natorum morbos frequentes spectant, Tübingae 1799.

Henke, *Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten, Frankfurt* 1821.

Heyfelder, *Beobachtungen über die Krankheiten der Neugebornen, Leipzig* 1825.

Joerg, *Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten, Leipzig* 1826.

Billard, *Traité des maladies des enfans nouveau nés et à la mamelle, Bruxelles* 1835.

Schmidt's Jahrbücher der Medicin, Bd. VII und X.

Bluff, *Leistungen und Fortschritte der Medicin in Deutschland im Jahre* 1832, *Berlin* 1833.

Meissner, *Kinderkrankheiten, Leipzig* 1838.

Barez, Dissertatio nonnulla ad morbos infantum spectantia proponens, Berol. 1820.

Voisin, *Nouvel aperçu sur la physiologie du foie et les usages de la bile, Paris* 1833.

Heidelberger, *Klinische Annalen, Bd. VII. Heft* 1. 1831.

Hufeland's Annalen der französischen Arzneikunde, Bd. I.

Hufeland's Journal der practischen Medicin, 1828, *Heft October.*

Chambon, Über die Kinderkrankheiten, Bd. I. Abtheil. 1.

Cheyne, Essays on the diseases of children, Essay II, Edinburg 1808.

Carus, Lehrbuch der Gynaekologie, Th. II.

Berends, Vorlesungen über die practische Arzneiwissenschaft, herausgegeben von Sundelin, Berlin 1827, *Bd. IX.*

Froriep's Notizen, Bd. XIV. Nr. 3.

De ictero in universum.

Icterus nomen usitatissimum est morbi in antiquissimis medicorum libris jam descripti, cujus tamen alia etiam nomina exstant, ut illus icterodes, morbus regius, aurigo, perfusio auriginosa, morbus arquatus, arcuatus, fellis suffusio, cachexia icterica etc. Definitio icteri nisi ad externa non pertinet, quippe qui non morbus sed modo symptoma est. Medici in universum de aetiologia icteri disceptantes in eo tamen consentiunt, icterum esse innormalem sanguinis cum bili mixtionem, quod significatur flavo cutis colore, a quo nomen ductum est. Flavus hic cutis color in diversis affectionibus pathologicis causam habere potest, unde non modo diversae de icteri aetiologia sententiae, sed etiam diversae divisiones, quarum nonnullas commemorabo.

Discernebatur icterus idiopathicus et symptomaticus, et e modo, quo apparebat, sporadicus, epidemicus et endemicus, ratione, qua corpus occu-

pabat, universus et partialis. Sunt qui dividant in icterum viridem, nigrum, album etc. quo magis minusve flavus erat cutis color. *Berends* dividit icterum secundum causas remotiores, exempli gratia in icterum a calculis in vesica fellea, in icterum a vulneribus capitis etc.

Divisio, quam dicit *Stoll*, pertinet ad therapiam distinguens: icterum frigidum, inflammatorium, plethoricum, periodicum, spasmodicum, febrium gastricarum recens natorum.

De ictero recens natorum.

Hanc ultimam divisionem sequentes multi medici ad icterum recens natorum attenderunt animum, de cujus aetiologia tot sententiarum esse, quot virorum qui eum tractaverunt sint, non immerito dixeris. Quum vero tam saepe appareat, erant qui contenderent, flavum cutis colorem liberorum recens natorum non pathologicam esse affectionem, sed normalem efformationis cutis gradum, quo omnes infantes afficerentur. *Icterus recens natorum* vocatur flavus cutis color liberorum primis diebus post partum, de cujus causa multi atque peritissimi medici varia censent, quarum sententiarum gravissimas commemorabo.

Diversae medicorum sententiae spectantes ad aetiologiam icteri recens natorum.

Morgagni et *Barez* putant, sanguinis congestionem ad hepar ligatura funiculi umbilicalis sublatam causam esse icteri; ejusdem sententiae est *Autenrieth*, quum hoc modo sanguinis in hepate circulatio retardetur.

Ab opinione, quam tradidit *Chambon*, affectione hepatis per capitis compressionem, quae in partu fieri solet, icterum recens natorum effici, *Jahn* paullulum discedit, simul aëre externo commutatam cutis functionem respiciens.

Baumes contra meconium aliasque sordes in duodeno accumulatas, sicuti spasmum in ductu choledocho et irritationem e sanguine in funiculo umbilicali putrefacto accusat. Cui tamen sententiae opponit *Elsaesser*, liberos, ligatura funiculi umbilicalis tum demum applicata quum nulla amplius sanguinis observata est pulsatio, ictero esse affectos.

Fleisch putat, meconium retentum, nutritionem alienam vel aliam rem irritantem ductus choledochi contractionem spasmadicam et per hanc icterum efficere.

Rosenstein et *Cheyne* in poris biliariis, in ductu hepatico vel choledocho per mucum obstructis causam quaerunt morbi; quam sententiam etiam *Feiler* sequitur.

Levret lacti nutricis non satis apto culpam tribuit.

Henke credit hepatis functionem simul cum sanguinis circulatione atque actione intestinorum incipiente commutari, qua re, ut fel resorbeatur et in tela cellulosa deponatur, effici.

Voisin sanguinem in ramis hepaticis atque vena umbilicali cessantem in crimen vocat, ad quod etiam novam chylificationis functionem accedere.

Oesterlein cutis externi inflammationem in systematis gastrici atque fellis inflammationem transire, quam ipsum movere morbum, dicit.

Carus in cutis teneritate, in praeponderante hepatis functione et sanguine recens natorum carbonico causam morbi proximam positam esse censet, atque refrigerationes, nutrimenta minus apta etc. causas esse occasionales affert.

Capuron a plurium superiorum sententiis non discedit, affirmans quae dicunt *Baumes*, *Fleisch*, *Carus*, et *Chambon*.

Boer, *Wendt* et *Joerg* in organismi infantilis teneritatem respiciunt, qua refrigerationis repentinae earumque omnium hepatis affectionum contineatur causa.

Heyfelder icterum recens natorum atque telae cellulosae indurationem eandem habere causam arbitratur, utrumque enim morbum respiratione

impedita effici, qua sanguis in minori sanguinis circulo in majorem partem ad hepar profluat per eas vias, quae in foetu tantum patent.

Dijudicatio harum sententiarum diversarum.

Plurimas harum sententiarum sectione confirmari censeres, sed raro tantum hepatis partes, quae ad secernendam bilem pertinent, affectae reperiebantur. Ligaturam funiculi umbilialis esse causam, ut *Morgagni*, *Burez* et *Autenrieth* dicunt, experientia non sancit, quum etiam liberi recens nati ictero afficiantur, quorum funiculus umbilicalis devinciebatur tum demum, quum nulla amplius sanguinis pulsatio observata erat. Desunt autem observationes, quae demonstrant icterum etiam non devincto funiculo umbilicali exstitisse. Si compressio capitis praeberet causam, ut *Chambon* censet, aut omnes liberi icterici essent, aut ii tantum, quorum partus erat difficilis, sed, quorum partus erat facilis, icterum quoque habent, quamquam non omnes eo afficiuntur. Adesse inflammationem vel spasmum in systemate, quod ad secernendum pertinet fel, et decursus morbi, quum symptomata nulla malorum eorum adsint, et sectio repugnat, quae nullum argumentum affert. Si ea vera sunt, quae *Levret* dicit, ii liberi non afficiuntur ictero, qui

lacti matris ipsius nutriuntur, quam vero rem experientia non docet. *Heyfelder* contendit, se semper ductum arteriosum Botalli, foramen ovale, et ductum venosum Arrantii apertum reperiisse, quam observationem non modo in iis, qui ictero affecti erant, sed in multis liberis recens natis non ictericis facere licet; in multis contra recens natis ictero affectis illi ductus clausi reperiuntur. Apertum est, multas illarum sententias vanas esse hypotheses falsis observationibus ortas vel in morbo ipso vel in sectione. Quamquam multa adhuc ad explorandam aetiologiam icteri recens natorum observationi relinquuntur, certe propius ad veritatem eorum sententiae sunt, qui ea tria momenta respiciunt, quae post partum commutantur, qua in re maxime inter se congruunt *Boer*, *Wendt*, *Joerg* et *Carus*, quorum judicium in aetiologia exploranda sequar.

Aetiologia icteri recens natorum.

Cutis nova est conditio, quippe quae post partum tandem aëre tangitur, ideoque valde sensibilis est. Pulmo partu tandem fit organum respirationis, ad quod destinatum est, ideoque saepe non juste fungitur muneribus suis. Quum pulmones incipiunt muneribus suis fungi, amittit hepar

partem functionum priorum, quum jam non solum constitutum sit mutando et miscendo sanguini. Mutua horum trium organorum vis ad ortum icteri recens natorum explicandum satis est.

In liberis recens natis hepar ad corporis rationem maximum est et efficacissimum, de qua re pendet fellis hac aetate frequentissima secretio. Hac in re magnam exercet vim cutis sensibilitas in frigus, quum cutis statu non malo multum imbibit oxygenium, eoque infantis sanitas augetur, quae actio princeps in liberis recens natis eo majoris est momenti, quum processus respirationis per pulmones adhuc imperfectus sit. Cutis igitur si frigore oxygenisatio impeditur, eo magis venosus est sanguis, ex quo in hepate fel secernitur. Quo magis sanguis est venosus, eo maior fellis secernitur copia in hepate, unde in liberis tam saepe virides excretiones per anum et flavus cutis color, quum bilis superfluus non prorsus per anum excernatur, sed felle impletis vasis capillaribus flavum colorem tribuat omnibus corporis telis, nam non solus cutis ita coloratus est.

Decursus morbi.

Icterus recens natorum apparet plerumque in tribus aut septem primis diebus post partum et quo prius eo facilius, quia liberi eo facilius frigoribus expositi sunt, quippe qui impatientes sunt aëre, qua re icterus tam frequenter paullo post liberorum excessum e vagina existit.

Quo flavior infans est, eo magis affectus est ictero, cujus tamen symptomata differunt ab iis, quae cognoscuntur in adolescentibus, in quibus excrementa per anum sunt argillacea, magis albescentia, bili non mixta nec colorata, recens natorum contra sunt virescentia et bilis colorem ostendunt atque bilem continent. Contraria sunt symptomata, quae praebet urina, in adolescentibus flava, fusca, multum bilis continens, et colore afficiens intinctum linum album vel chartam, in recens natis colore non affecta nec aucta, quum renum secretiones nondum sint robustae. Adolescentium autem icterus non semper oritur aucta fellis secretione uti recens natorum. In recens natis pauca sunt signa icteri, quae malam valetudinem significent, praeter flavum cutis colorem in tenuioribus et candidioribus corporis partibus eo clarius apparentem, et praeter virides excretiones ani. Lactent liberi et bene dormiunt, saepe tamen exclamationibus indicant dolorem felle in intestinis accumulato affectum. Febris tantum adest accedentibus aliis novis morbis, ubi affectio jam non amplius est icterus recens nato-

rum, sed flavus cutis color plerumque aliorum morborum symptoma est. Ut icterus frigoribus facillime existit, ita etiam facile, si frigora vitantur, depellitur; in universum post quartum aut sextum diem rursus infans colorem normalem demonstrat. nec jam virides sunt faeces, sed flavae, ut bona valetudine esse solent. Diu tamen perstare potest icterus denuo frigoribus accedentibus, ubi color flavus modo minuitur modo augetur. Falsa videtur esse sententia, hunc felle anomale aucto ortum icterum esse infanti non periculosum, cum vis assimilationis valde turbetur ideoque nutritio per longum tempus impediatur. Nec magis iis consentirem, qui icterum recens natorum salubrem putant, periculosius quidem esset auctum fel si aliam anomalium efficeret, auctum vero fel est fructus pathologicus, qua re organismus auctum fel per cutem et per excrementa ani ejicit.

Prognosis igitur plerumque, quamquam non semper, non infausta est, si nutritores liberorum noxias res, quae eos attingunt, prohibere possunt. Multi medici de curatione icteri recens natorum ex una tantum parte examinantes judicant, ut qui faciunt venae sectionem, quamquam indicia quae postulant hanc non adsunt; qua re de curatione ut de aetiologia sententiae sunt diversissimae; si ex iis vero proficiscor, quae de aetiologia dixi, nihil aliud est faciendum quam ut causis efficientibus remotis normalis cutis functio restituatur. Causae tamen parentibus pauperibus non facile removeri possunt, quum raro vestium copia adsit. ut infans haberi

possit satis siccus, nec semper eadem temperatura sit in domicilio. Ad restituendam cutis actionem sufficit ut liberi in aqua tepida laventur quotidie aliquoties, quod caloris aequabili vi rursus ad imbibendum oxygenium apta fit cutis. Si aucta bili frequentiores efficiuntur faecium excretiones per anum bene adhibentur clysmata pituitosa. Simplex haec curatio plerumque sufficit ad malum paucis diebus solvendum.

Ea sententia, quam affert *Hufeland*, icterum recens natorum rarius apparere temporibus recentioribus, non vera videtur, quum experientia doceat paene dimidiam recens natorum partem eo affici. Quae res adsint efficientes, ut in regionibus quibusdam terrae icterus sit endemicus, nondum est exploratum.

THESES.

I.

In hydrocele curanda praefero incisionem.

II.

In ophthalmia recens natorum semper salutare est sanguinis ex oculo affecto profluvium.

III.

Si feminam aegratam curare velis, gravididatis suspicionem habeas.

IV.

Causa ineuntis partus non in foetu, sed in utero quaerenda est.

V.

Foetum adhuc vivum perforare nefas est.

6(16)

6(16)